

Geber de veritatis inuestigatione.

Considerauimus in nostris voluminibus ex secretis & naturalibus potentijs, & naturalium proprietatibus, etiam per experientiam nostram inuentione inuestigationis materiam omnino certam. Non enim omnino inuenimus aliud, nisi quod ea ex quibus elicetur nostra medicina, in corporibus transmutandis, habet in se has qualitatum proprietates.

Primò quod habeat terram subtilissimam in se, & incombustibilem, aptamq; ad figendum omnimodè fixam cum suo proprio radicali humore.

Secundò: humiditatem aëream & igneam, uniformiter coniunctam, sic, quod si vnum fuerit volatile quod & reliquum. Et quod ipsa humiditas est super omnes humiditates, expectans ignis calorem usq; ad sui sufficientis inspissationis cineris complementum, quoad indigentiam ipsius cum permanentia inseparabili terra, scilicet annexæ sine evaporatione.

Tertiò, quod humiditatis dispositio naturalis sit talis, quod per beneficium suæ homogeneitatis, in omnibus suarum proprietatum differentijs: terram habet annexam conuersione utriusque, quia in alterutris homogeneitate sit contemporatum virtuosè, & unione totali, & vinculo connexionis inseparabilis æqualiter post finalis præparationis gradum fusionem bonam præstet. **Q**uartò, quod hæc homogeneitas sit tantæ puritatis essentiæ, & ab omni re combustibili seu vrente artificialiter emundata, quod omnia cum quibus conjungitur per minima non comburat, sed à combustionne præseruet. **Q**uintò, quod claram & splendidam habeat tincturam in se albam, rubeam, mundam & incombustibilem, stabilem & fixam, quod ignis nequaquam valeat ipsam permutare, nec sulphura adustiuia seu acuta corrodentia corrūpere, nec perfraudare. **S**extò, quod totum compositum inscratum cum suo complemento finali sit tantæ subtilitatis materiæque tenacitatis, quod post finalem suæ decoctionis termini iniectionem tenuissimæ maneat fusionis, ad modum aquæ, & penetrationis profundæ usque ad ultimæ rei permutable,